



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

XLIII. Vt qui, plebe sua contempta, ad Concilium venire detrectant, & plebem & honorem amittant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

## XLII.

Afr. ca. 19  
16. qu. 1.  
multis Cō-  
ciliis hoc.

Epigonius episcopus dixit : Multis in Con-  
ciliis hoc statutum est a cœtu sacerdotali , vt plebes  
quæ in diœcesibus ab episcopis retinentur , quæ e-  
piscopum nunquam habuerunt , non nisi cum vo-  
luntate eius episcopi , a quo tenentur , proprios ac-  
cipiant rectores , id est , episcopos. At vero quia  
nonnulli , quodam dominatu adepti , communio-  
nem fratrum abhorrent , vel certe , cum eleuati  
fuerint , quasi in quadam arce tyrannicam ibi do-  
minationem vindicant , quod plerique \* stolidi ad-  
uersus episcopos suos ceruices erigunt presbyteri ,  
vel conuiuuiis sibi concilians plebem , vel certe  
persuasum maligno \* & illicito eosdem velint sibi  
collocare rectores , quod quidem insigne mentis  
tuæ tenemus votum , frater religiose Aureli , quia  
hæc sæpe oppressisti , non curando tales \* petiti-  
ones , sed propter eorum malos cogitatus & prae-  
concinnata Concilia hoc dico , non debere recto-  
rem accipere eam plebem , quæ in diœcesi *semper*  
subiacuit , nec vnquam proprium episcopum ha-  
buit. Quapropter , si vniuerso sanctissimo \* Con-  
cilio complacet hoc , quod prosecutus sum , con-  
firmetur. Aurelius episcopus dixit : Fratris & con-  
sacerdotis nostri prosecutioni non obsisto , sed  
hoc me & fecisse & facturum esse confiteor , circa  
eos sane qui fuerint concordēs , non solum circa  
ecclesiam Carthaginensem , sed circa omne sacer-  
dotale consortium.

## XLIII.

Afr. ca. 28.

Sunt enim plerique conspirantes cum propriis



ANNO  
CHRISTI  
397.

plebibus, quas decipiunt, ut dictum est, earum  
scalpentes aures, ad seducendum vitiosæ vitæ ho-  
mines; vel certe inflati, & ab hoc consortio sepa-  
rati, qui putent propriæ plebi incumbendum; &  
nonnunquam conuenti, ad Concilium venire re-  
fugiunt & detrectant, sua forte ne prodantur fla-  
gitia, metuentes. Dico, si placet, circa hos, non  
tantum diœceses non esse seruandas, verum etiam  
de propria ecclesia, quæ illis male fauerit, omnino  
adnitendum, ut etiam auctoritate publica reiician-  
tur, atque ab ipsis principalibus cathedris remo-  
ueantur. Oportet enim, ut qui vniuersis fratribus  
ac toti Concilio inhæserit, non solum sua iure in-  
tegro, sed & diœceses possideat. At vero, qui sibi  
met putant plebes suas sufficere, fraterna dilectio-  
ne contempta, nec tantum diœceses amittant, sed  
(ut dixi) etiam propriis publica careant auctori-  
tate, ut rebelles. Honoratus & Urbanus episcopi  
dixerunt: Summa prouisio sanctitatis tuæ hæsit  
mentibus singulorum, & puto omnium respon-  
sione ea quæ profequi dignatus es, probanda. V-  
niuersi episcopi dixerunt: Placet, placet.

XLIV.

Epigonius episcopus dixit: In multis Conciliis Afr. c. 28.  
hoc statutum est, etiam nunc hoc confirmandum  
est vestra prouidentia, fratres beatissimi, ut cleri-  
cum alienum nullus sibi præripiat episcopus, præ-  
ter eius arbitrium, cuius fuerit clericus. Dico au-  
tem Iulianum, qui ingratus est Dei beneficiis per  
meam paruitatem in se collatis, ita temerarium &  
audacem extitisse, ut eum qui a me baptizatus est,